

OBLIGATIONES, IURA ET ASSOCIATIONES CLERICORUM*

SUMMARIUM: Praemissis considerationibus generalibus, pauca referuntur de sorte veterum privilegiorum, quae in Codice 1917 adhuc memorabantur. Deinde agitur ex ordine de obligationibus, iuribus et consociationibus clericorum. Illustrantur quattuordecim canones de obligationibus agentes, tentando simul quandam separationem inter strictas obligationes et quattuor quae potius videntur commendationes. Tertio loco recensentur iura sex propria clericorum in iure eis agnita. Tandem describitur ius associationis, sequendo iter elaborationis can. 278 in Commissione. Imago clerici ex canonibus examinatis emergens in novo Codice, per relationem ad praecedentem, concludit articulum.

I) PRAEMISSAE

Opportunum videtur aliquas praecisationes facere ut melius in hoc argumentum, quod magni est momenti in vita Ecclesiae et quod diversos aspectus investigationis ecclesiasticae tangit, ingredi possimus. Perfacile enim est in dimensionem theologicam vel in categoriam spiritualitatis, cum quibus Ius Canonicum profunde ligatum est, incidere.

Primum: non est obliviscendum quod canones circa «obligationes, iura et associationes clericorum» tantum pars «status clericorum» in Ecclesia sunt. Clerici etiam aliis titulis qualificantur, v.g. sunt clerici et episcopi et parochi et religiosi etc. Non est expectandum ab una parte quod solum a totalitate offerri potest.

Secundum: problemata theologica, verbi gratia: quaestio sacrae potestatis (cfr. c. 274 § 1)¹, positio ministerii ordinati in Populi Dei structura, diaconatus², etc., non considerantur.

Tertium: non ingrediemur in quaestiones cum canonibus examinandis connexas, v. gr. quae respiciunt «Christifidelium associationes: de iure consociandi, de autonomia et de communione», simulque quaestionem generalem de iure consociandi. In hac dissertatione in lucem ponuntur aliqua problemata quae ab hoc clericorum iure profluunt.

Quartum: esset magni momenti animum Commissionis qui revisionem istorum canonum curavit, in omnibus evolutionis gressibus cognoscere. Attamen hoc desiderium plene non satisfiet, quia in periodica «Communicationes» publici iuris factae sunt relationes duarum tantum sessionum. Membra Commissionis per quattuor sessiones de hac materia egerunt³.

¹ Remittimus ad nostrum studium: A. CELEGHIN, *Sacra Potestas: quaestio post Conciliaris*, in *Periodica* 74 (1985) 165-225. Nostrae investigationis completa autem expositio invenitur in: ID., *Origine e natura della potestà sacra. Posizioni postconciliari*, Ed. Morcelliana, Brescia 1987, 496 p.

² De hoc locutus est: S. DIANICH, *Il ministero ordinato nella struttura del Popolo di Dio*, in prima relatione huius conventus. De Diaconatu postea loquetur: P.G. MICCHIARDI, *Il Diaconato*.

³ In *Communicationes* 19 (1987) 262-308, inveniri potest «Synthesis generalis laboris Pontificiae Commissionis Codici Juris Canonici recognoscendo». Memorantur revisionis tempora diversa (pp. 262-264), diversi coetus laboris, dies sessionum (p. 265) et aliquae relationes in *Comm. iuris publici factae*. Notae de clericorum obligationibus et iuribus inveniuntur in: *Ibid.*, 272-276. Coetus de hac materia dissertavit in: Sessione I diebus 24-28.10.1966 (*Comm.* 16 [1984] 168-186); Sessione XII diebus 11-16.11.1972; Sessione XIII diebus 9-14.4.1973. Post Schematis anni 1977 recognitionem quaestio suscipitur in Sessione IV diebus

Denique memorandum est quod materia horum canonum novos fontes habet in Concilii Vaticani II documentis, in quibus Decretum *Presbyterorum ordinis* de ministerio et vita sacerdotali primum locum tenet, quodque in documentis applicationis eiusdem Concilii, in quibus eminent Litterae Ap. M.P. datae *Ecclesiae Sanctae*⁴, *Sacrum Diaconatus Ordinem*, *Ad Pascendum*⁵ et *Ministeria Quaedam*⁶, complementum habet.

II) NOVITATES PRAECIPUAE

Lectio, etsi superficialis, canonum duorum Codicum, tres mutationes prae oculis in lucem ponit. Prima et secunda in titulis, tertia in canonibus inveniuntur.

C.I.C. 1917 duos titulos de clericorum iuribus et obligationibus habebat:

Titulus II *De iuribus et privilegiis clericorum* (118-123).

Titulus III *De obligationibus clericorum* (124-144).

Codex hodiernus tantum unum caput tenet:

Caput III *De clericorum obligationibus et iuribus* (273-289).

14-19.1.1980 (*Comm.*, 14 [1982] 71-84). Faciliter comprobare possumus *Comm.* duarum Sessionum tantum relationem praebere.

⁴ Cfr. M.P. *Ecclesiae Sanctae*, 6.8.1966 in AAS 58 (1966) 757-787.

⁵ Cfr. M.P. *Sacrum Diaconatus Ordinem*, 18.6.1967, in AAS 59 (1967) 697-704; M.P. *Ad Pascendum*, 15.8.1972, in AAS 64 (1972) 534-540.

⁶ M.P. *Ministeria Quaedam*, 15.8.1972, in AAS 64 (1972) 529-534.

Tria ergo in capite et in canonibus Codicis hodierni apparent:

- a) prius obligationes et deinde iura scribuntur;
- b) non amplius vox «privilegium» invenitur;
- c) systema sic dictum «beneficiale» eliminatur.

a) Commissionis Coetus dissertationem circa titulum et verborum successionem in prima sessione ponit⁷. Membrorum opiniones ad unum convenire non potuerunt et statutum est hac in occasione divisionem inter obligationes et iura Codicis retinendi⁸. Postea Coetus unum titulum voluit. In hoc capite vox «obligationes» ante verbum «iura» invenitur, quia «Certocertius affirmandae sunt obligationes quas habent clerici. Sed etiam iura eorundem determinentur oportet. Obligationes autem et iura, quae saepius cohaerent, sub uno eodem titulo enuntiari possunt»⁹.

Consultores ista cum decisione hanc materiam ex integro tractare voluerunt inspiciendo praecepta Codicis sed praesertim inspectis doctrina et praescriptis, quae in documentis Concilii Vaticani II continentur¹⁰.

b) In Concilii Vaticani II sessionibus, Patres circa privilegia ab auctoritatibus civilibus recepta aliquas cogitationes exposuerunt, quarum exitus in Constitutionis Pastoralis de Ecclesia in mundo huius temporis «Gaudium et Spes» n. 76 exponitur:

⁷ Cfr. *Comm.*, 16 (1984) 168.

⁸ Cfr. *ibid.*

⁹ *Comm.*, 3 (1971) 192. Cfr. etiam *Schemata Novi CJC*, 65 (vide infra in nt. 16).

¹⁰ Cfr. *Comm.*, 3 (1971) 192. Hoc praesertim dicitur de Decreto Concilii *Presbyterorum Ordinis* et de *M.P. Ecclesiae Sanctae* (ES), I^a, 7-8.

«Spem vero suam in privilegiis ab auctoritate civili oblatis non reponit; immo quorundam iurium legitime acquisitorum exercitio renuntiabit, ubi constiterit eorum usu sinceritatem sui testimonii vocari in dubium aut novas vitae condiciones aliam exigere ordinationem».

Haec verba, etsi in *Communicationes*. nulla referentia explicita ad Concilii dictamina detur, labores Coetus Commissionis ducunt¹¹.

In prima sessione, iuxta mentem trium Consultorum, sermo fieri non debet de privilegiis clericorum, sed de eorundem iuribus et *praerogativis*:

*«Unde prius de iuribus et praerogativis clericorum, deinde de eorundem obligationibus tractetur»*¹².

Quare, sub hoc titulo: *De iuribus et praerogativis clericorum*, ordinem canonum C.I.C. 1917 sequentes, Consultores materiam examinant.

Attamen, cum canones 120-123, qui de privilegiis normas statuunt, aggrediuntur: *«Variae sententiae de his privilegiis exponuntur, uti in votis et relationibus, proponuntur:*

- a) iuxta unum ex consultoribus remanere debent textus canonum uti sunt; eandem sententiam videntur admittere duo alii Consultores, sed addunt sermonem esse faciendum de iure clericorum ad honestam sustentationem;*
- b) privilegia abolenda esse aestimant duo Consultores, et expresse alii duo conveniunt.*
- c) Etiam est qui censet privilegia esse abolenda, sed unum regulam servat, pro can. 121: iustum est, arguit, ut clerici servant leges civiles et coram Civitate respondeant de earum observatione»*¹³.

¹¹ Cfr. *Comm.*, 3 (1971) 192 et *Comm.*, 16 (1984) 168.

¹² Cfr. *ibid.*

¹³ *Ibid.*, 170.

Sed:

«post discussionem, proponitur ut quoad exemptionem a servitio militari et a certis muneribus publicis, affirmetur postea ubi de clericorum obligationibus agetur — obligatio clericorum utendi exemptionibus concessis a Civitatibus. Hanc propositionem admittunt omnes»¹⁴.

Cetera privilegia postea tractantur. Decisio non amplius de privilegiis vel de praerogativis loquendi post hanc sessionem determinata est¹⁵. Hoc modo Consultores maiori cum cohaerentia ad Concilii dictamina se appropinquant. Et unanimiter ad clericorum abolitionem privilegiorum, anno 1977 conveniunt¹⁶:

«De sententia Consultorum coetus, sermo faciendus non est de clericorum privilegiis, immo haec privilegia abolenda sunt (...) Alia clericorum privilegia, de quibus in Codice I.C., non sunt servanda»¹⁷.

Privilegia in CIC 1917, quibus clericus renunciare nequibat et quibus privari poterat, si ad statum laica-

¹⁴ *Ibid.*

¹⁵ Hoc eruitur a: *Comm.*, 3 (1971) 192-196. In illo loco attamen certa temporis referentia deest. Ex illis expressionibus praesumuntur relati exitus sessionum quae tempore posteriori anno 1966 habitae sunt.

¹⁶ Officina Typographica Vaticana *Schema Canonum Libri II - De Populo Dei* curatum a Pontificia Commissione pro CJC recognitione anno 1977 publici iuris fecit. Anno sequenti schemata plurium librorum Codicis in uno volumine: *Schemata Canonum Novi Codicis Juris Canonici (reservatum-pro studio privato)*, Roma 1978 (forsitan a P. Universitate Gregoriana) collecta iuris publici facta sunt. In quo volumine legitur: «Imprimis notandum est de consensu omnium consultorum de clericorum privilegiis non esse agendum et haec privilegia esse abolenda» (p. 65).

¹⁷ *Comm.*, 3 (1971) 192.

lem reduceretur aut privatione perpetua iuris deferendi habitum ecclesiasticum plectaretur¹⁸, quattuor enumerabantur.

1) *Privilegium canonis* (c. 119). Christifideles laici clericis reverentiam deferre tenebantur. Qui illis realem iniuriam intulissent, in sacrilegii delictum incidere potuissent. De hoc canone Consultores cogitaverunt:

*«Odiosum autem videtur de iure ad reverentiam sermonem facere, et ideo si talis norma servanda sit, aptius ponitur in titulo, in quo definiuntur obligationes omnium christifidelium»*¹⁹.

2) *Privilegium fori* (c. 120 § 1). Clericis in omnibus causis sive contentiosis sive criminalibus apud iudicem ecclesiasticum conveniendi ius erat, nisi aliter pro locis particularibus provisum fuisset. Coetus Commissionis hoc privilegium explicite non examinat. Certo certius, in praxi, privilegio paene ubique non amplius clerici utebantur. Simpliciter inter privilegia abolenda sine speciali mentione inclusum fuit²⁰.

3) *Privilegium immunitatis* (c. 121). Clerici a servitio militari et a muneribus et publicis civilibus officiis a statu clericali alienis immunes erant. Consultores, qui privilegia reicere volunt, cogitant:

«Sane, cum servitium militare, immo et certa munera publica iure civitatum ordinata, minus statui clericali congruant, affirmari potest atque debet — ubi de clericorum

¹⁸ Cfr. CJC 1917 c. 123.

¹⁹ *Comm.*, 3 (1971) 192. In Codice tantum de «salva ... reverentia erga pastores» in § 3 c. 212 dicitur. Eodem loco ius christifidelium sententiam suam pastoribus manifestandi memoratur.

²⁰ Cfr. *Comm.*, 3 (1971) 192.

*obligationibus agitur — eorundem obligatio utendi exemptionibus a servitio militari et a certis publicis muneribus quae societates aliquae civiles in clericorum favorem concedunt*²¹.

Et hoc est tenor can. 289 hodierni CIC.

4) *Privilegium competentiae* (c. 122). Clericis, qui debitoribus satisfacere debuissent, prudenti ecclesiastici iudicis arbitrio, quae ad honestam sustentationem necessaria essent, servabantur. Hoc privilegium amplissime ab hodiernis civilibus ordinamentis superatur. Nam ius humanum fundamentale considerari potest²².

c) Concilii Patres in Decreto PO n. 20 statuerunt:

*«Systema sic dictum beneficiale relinquatur aut saltem ita reformetur ut pars beneficalis, seu ius ad redditus ex dote officio adnexos, habeatur tamquam secundaria»*²³.

In Codice, iuxta Concilii dictamen, non amplius de iure ad beneficium fit sermo. Sed in han quaestionem non ingredimur.

²¹ *Ibid.* Eadem verba inveniuntur etiam in *Schemata*, 65. Notandum est quod in hodierno Codice principium est relativum. Praesupponit vel leges civiles aptas, vel Concordatum aut Conventiones Ecclesiam inter et Civitatem.

²² Hoc privilegium distinctionem non aequam clericum inter et laicum, qui in iisdem conditionibus se invenissent, praebat.

²³ Cfr. *ES.*, I^a, 8 et 18; *Comm.*, 16 (1984) 168. CJC 1917 in c. 118 ius ad beneficium statuebat.

III) CANONUM EXPRESSIONES

Obligationes et iura clericorum in sedecim²⁴ canonibus enuntiantur. Attamen in eis exhortationis et commendationis expressiones non desunt²⁵. Aliquae normae clare et precise vim obligantem ferunt²⁶; aliae, simplicem exhortationem exprimunt²⁷. In diversas theorias iuris canonici ingredi nolumus²⁸. Attamen opportunum videtur concordantiam cum F.X. URRUTIA affirmare. Ipse putat normam ecclesiasticam non semper, stricte loquendo, constringentem esse; aliquando orientationem vel solam exhortationem exprimere²⁹. Videatur v. gr. can. 280, qui clericis quandam vitae communis consuetudinem valde commendat. Illos in hac directione, sine ulla impositione, fortiter suadet.

Hoc modo, memoratis principiis recognitionis Codicis Iuris Canonici et pastoralis cura secundum novas Populi Dei necessitudines, nunquam indolem iuridicam omnium Codicis canonum in discussionem ponere volumus³⁰.

²⁴ Cfr. cann. 273-289.

²⁵ «Rispetto alla natura giuridica dei doveri specifici dei ministri sacri, conviene distinguere tra doveri propriamente detti e semplici raccomandazioni»: *CJC. Edizione bilingue commentata*, I, Roma 1986, 228-229.

²⁶ Studium iuris publici fecit: P. ERDŐ, *Expressiones obligationis et exhortationis in Codice Iuris Canonici*, in *Periodica* 76 (1987) 3-27. Expressiones obligationis (praeceptum, permissio, vetitum) a p. 10 ad p. 22 examinantur.

²⁷ Expressiones exhortationis considerantur in: *ibid.*, 22-25.

²⁸ Breviter de hoc alibi refertur.

²⁹ Cfr. F.X. URRUTIA, *De natura legis ecclesiasticae*, in *Monitor Ecclesiasticus*, 100 (1975) 414, nt. 51.

³⁰ Cfr. Documentum: «Principia quae Codicis Iuris Canonici recognitionem dirigant», in *Comm.*, 1 (1969) 77-79.

IV) CANONUM LECTIO

In examine non canonum numericam successionem, sed expressionum genera sequimur. Primum canones obligationis examinantur, deinde canones exhortationis leguntur, tertio canones, qui clericorum iura statuunt, considerantur, et ultimo consociandi ius aggredimur.

Circa canonum distinctionem inter categorias obligationis et exhortationis, indicationes authenticae et certae desunt. Ergo aliqui canones in prima vel in altera elencatione poni possunt. Et pro una vel altera collocatione auctores semper novas rationes addere possunt.

Noster conatus erit CIC 1917 prae oculis habere et, secundum possibilitatem, iter evolutionis in hodierni Codicis canonum revisione invenire, ad melius cognoscendam «mentem», quae ultra formulas stat.

A) Obligationes

Prae primis immediata quaestio, cui iam innuebamus, ponenda est: Cur ante iura in titulo obligationes scriptae sunt?

Auctores diversimode cogitant.

Aliquis notat in iure canonico factispecies dilucidatas ut iura, non aliter ac obligationis derivationes esse enuntiatas. Nam Communio ecclesiae prioritatem logicam et ontologicam obligationis ante ius affirmat³¹. Alius dicit:

³¹ «Nei titoli posti in capo ai quattro cataloghi degli obblighi-doveri (dei fedeli, dei laici, dei chierici e dei religiosi), il CIC ha costantemente privilegiato il concetto di *dovere* su quello di diritto. In effetti all'interno dell'ordinamento canonico anche le fattispecie enunciate esplicitamente come diritti (i due terzi delle

«*Titulus, ut exoptant nonnulli et recte, melior est: "De clericorum iuribus et obligationibus". Priora sunt iura quae e vocatione divina et ordinatione recepta pro luunt. Quae iura secumferunt obligationes correlativas*»³².

Coetus commissionis aliquam «medianam» decisionem sumit, dicens:

«*In legislatione recognita proponitur unus titulus tantum, in quo praescripta traduntur quae insimul obligationes et iura clericorum enuntiant*»³³.

Hoc in successione canonum fideliter notatur.

Series obligationum numerosa est. Nolentes ullum valoris gradum proponere, in examine ordinem canonum eligimus.

1) *Communio hierarchica* (can. 273).

Canon omnibus clericis indistincte in memoriam revocat, eos ad reverentiam et oboedientiam Summo Pontifici et proprio Ordinario exhibendam teneri.

Non amplius vocem «praesertim presbyteri» praecedentis Codicis invenitur³⁴ et, post varias muta-

formule del CIC) sono in realtà la derivazione operativa di un dovere, e in forza dell'esigenza inderogabile della comunione ecclesiale emerge una priorità logica ed ontologica del dovere sul diritto»: T. BERTONE, *Obblighi e diritti dei chierici: missione di spiritualità del presbitero*, in AA.VV., *Lo stato giuridico dei ministri sacri nel nuovo Codex Iuris Canonici*, Città del Vaticano 1984, 68.

³² J. BEYER, *Adnotationes in Codicem renovatum. Liber II. De Populo Dei: De ministris sacris seu de clericis*, PUG, Roma 1982, 40.

³³ *Comm.*, 3 (1971) 192.

³⁴ Cfr. *Comm.*, 16 (1984) 184-186; *Comm.*, 3 (1971) 195.

tiones et vota, canon formulam schematis anni 1977 iterum sumit³⁵.

Utile notare videtur communionis praeceptum ad omnia munera et officia spiritualia et pastoralia solvenda, quae e sacra ordinatione profluunt³⁶, conditionem primam esse. Fontes huius canonis, praeter can. 127 CIC 1917, in LG 28, 41, CD 28-29 et PO 7 inveniuntur.

2) *Munus commissum suscipere et fideliter adimplere* (can. 274 § 2).

Substantialiter can. 128 CIC 1917 manet. Statim ab anno 1966 forma meliori enuntiatur, quae in hodierna paragrapho legitur³⁷. Ex natura rei patet clericum teneri ad ministerium in Ecclesia particulari, vel in Praelatura personali, vel in aliquo Instituto et Societate vitae consecratae, cui incardinatur, adimplendum³⁸, nisi, et hoc a iure praevидetur, legitimo impedimento excusetur.

3) *Vinculum fraternitatis et cooperatio inter clericos* (can. 275 § 1).

Haec «obligatio» non est vera et propria lex; exprimit potius principium pastorale, quod Commissio enuntiare vult³⁹. Textus, qui tantum litteraliter corrigitur, a PO n. 8, LG 28 et CD 30 desumitur⁴⁰.

³⁵ Cfr. *Schemata*, 119, c. 132; *Comm.*, 14 (1982) 74.

³⁶ Cfr. *Novi ritus ad ordinationem Diaconi, Presbyteri et Episcopi*, anno 1968 Paulo VI approbati.

³⁷ Cfr. *Comm.*, 16 (1984) 185; 14 (1982) 74.

³⁸ Cfr. ERDÖ, *Expressiones*, 17. Auctor affirmat verbum «tenetur» simplex praeceptum exprimere.

³⁹ Cfr. *Comm.*, 16 (1984) 185.

⁴⁰ Prima stesura invenitur in: *Ibid.* Anno 1977 stesura definitiva sumitur: cfr.: *Schemata*, 119, c. 133 § 1.

4) *Laicorum missionem agnoscere et promovere* (can. 275 § 2).

Haec paragraphus a PO 9 et a AA 25-26 sumitur, ac verbis generalibus exprimitur⁴¹. Consultores dissentiunt an servanda sint verba «praesertim sacerdotes», quae vocem «clericum» specificant⁴². In textu approbato incisum abest. Hic canon, sicut alii de communione, ut praeceptum ponit principium quod ex ipsa Ecclesiae natura requiritur, et quod a Concilio Vaticano II in diversis documentis saepe sublineatum est.

5) *Spiritualis vitae cura* (can. 276)

Haec obligatio in CIC 1917 et in primis Commissionis sessionibus primum locum tenebat. Anno 1977 locum, quod et in Codice habet, sumit⁴³. Omnes Consultores in prima sessione conveniunt textum can. 124 CIC 1917 esse elaborandum. Etiam expressionem «*sanctiorem vitam prae laicis*» eliminandam esse dicunt, ut doctrinae Concilii Vaticani II contrariam⁴⁵. Nam in Concilii documentis asseritur ad sanctam vitam omnes Christifideles, et laicos et consecratos, ex baptismi consecratione vocari⁴⁶.

Verba § 1 canonis a PO 12 hauriuntur. Sacerdotes ad perfectionem acquirendam peculiari ratione tenentur, quia Deo in Ordinis receptione novo modo consecrantur.

⁴¹ Cfr. *Comm.*, 16 (1984) 185.

⁴² Cfr. *Comm.*, 14 (1982) 75.

⁴³ Cfr. *Comm.*, 16 (1984) 172-173; 3 (1971) 192-193.

⁴⁴ Cfr. *Schemata*, 199, c. 134; *Comm.*, 14 (1982) 75-76.

⁴⁵ Cfr. *Comm.*, 16 (1984) 172; 3 (1971) 192.

⁴⁶ Cfr. LG. 40-41.

§ 2 *media* adhibenda a clericis in ordinem ad sanctitatem acquirendam determinantur. In can. 125 CIC 1917 cura mediorum Ordinario committebatur. Aliqui Commissionis Consultores dicunt: «Odiosum est ut obligationis impositio committatur Ordinario (ut in Codice)... Et alii omnes conveniunt»⁴⁷. In Codice hodierno nihil Ordinarii responsabilitatis auferri videtur; sed potius, ut in PO 12-14, 18 et in LG 41 dicitur, clericorum responsabilitas et cohaerentia sublineatur.

In mediorum elencatione haec successio invenitur:

- a) fidelis et indefessa adimpletio ministerii pastoralis officiorum⁴⁸;
- b) vitae spiritualis duplici mensa Sacrae Scripturae et Eucharistiae nutritio⁴⁹. Sacerdotes et diaconi enixe invitantur ut cotidie Eucharistiam offerant vel in ea participant. In can. 805 CIC 1917 non «cotidie», sed «pluries in anno» scribebatur.
- c) cotidie liturgiam horarum persolvere⁵⁰;
- d) recessibus spiritualibus vacare⁵¹;
- e) regulariter orationi mentali incumbere, frequenter ad sacramentum paenitentiae accedere, Deiparam

⁴⁷ Cfr. *Comm.*, 16 (1984) 172.

⁴⁸ Hoc in CIC 1917 deerat. Fons in PO 18 et LG 28,41 inveniri potest.

⁴⁹ Etiam haec media in praecedenti Codice non praevidebantur.

⁵⁰ Cfr. CIC 1917 c. 135. In Commissionis laboribus Consultores proposuerunt «Divinum Officium» et non «Liturgiam horarum» scribere: *Comm.*, 14 (1982) 76.

⁵¹ Exercitia spiritualia tertio saltem quoque anno praescribebantur. Nunc autem electa est indicatio magis vaga: «iuxta iuris particularis praescripta». Insuper discussio circa verbum «recessibus» aut «exercitiis» facta est: *Comm.*, 14 (1982) 76.

Virginem peculiari veneratione colere, aliisque sanctificationis communibus et particularibus mediis uti.

In vetere Codice (can. 125) obligationum expositio praecisior erat. Commendabatur quotidiana oratio mentalis, et etiam Sanctissimi Sacramenti visitatio, conscientiae examinatio ac mariana devotio, quae rosario mariano exprimi debebat⁵².

Utile videtur hoc loco et mentem Commissionis circa vim devincientem vix dictorum sanctificationis mediorum referre:

«Non omnia haec media iuridice imponuntur. Iuridice seu canonice obligantur clerici tantum ad horas canonicas cotidie recitandas secundum proprios et probatos liturgicos libros, atque ad vacandum recessibus spiritualibus, iuxta iuris particularis praescripta. Alia vero sanctificationis media, quorum quidem praecipua enumerantur, tantummodo commendantur»⁵³.

Opportunum aliquas animadversiones exprimere putamus:

- 1) Media in elencatione posita maximi momenti sunt; alia negligenda non sunt, sed potius invenienda et accipienda, uti vitae spirituali auxilium;
- 2) clericis uti praeceptiva aliqua sub c) et d) admonentur⁵⁴;
- 3) clerici cogitare nequeunt, et hoc obvium est, seipsos magis ad Liturgiam Horarum vel ad Spiritualia Exercitia persolvenda teneri, quam ad fideliter

⁵² Cfr. *ibid.*

⁵³ Cfr. *Comm.*, 3 (1971) 193.

⁵⁴ P. ERDŐ, *Expressiones*, 19. Auctor dicit: «obligatione tenetur» obligationem praeceptivam significare.

- ministerium suum adimplendum vel ad hauriendum ex Sacrae Scripturae et Eucharistiae mensa⁵⁵;
- 4) omnia media in hoc canone enumerata, quae non stricte praecipiuntur, modo tali expressa sunt, ut clerici illa non tantum sicut «frigida» prascripta, sed sicut responsa («enixe invitantur» et «sollecitantur ut») cum propria ministeriali vocatione cohaerentia recipiant⁵⁶.

6) *Perpetua continentia et caelibatus* (can. 277).

In hoc canone normae expressae in cc. 132-133 CIC 1917 et in relativis diversarum redactionum revisionis canonibus colliguntur⁵⁷.

Materia, si comparatio cum CIC 1917 efficitur, ample in discussionem ponitur. Consultores prae oculis habent PO 16, in quo haec obligatio receptione Diaconatus Ordinis initium sumit⁵⁸. Distinctio inter majores et minores Ordines superatur. Nam minores et Subdiaconatus (de qua quaestione duo Consultores Commissionem «De Concilii Decretis interpretandis» interrogare proposuerant)⁵⁹, anno 1972 suppressi

⁵⁵ Legantur LG 41 e PO 18. In expressionibus apparet aliquid amplius quam simplex exhortatio; hoc notat etiam P. ERDŐ, *ibid.*, 22-23. Cfr. etiam: A. DEPASQUALE, *Stati e funzioni del popolo di Dio*, in AA.Vv., *Il diritto nel mistero della Chiesa* (ed. rivista e corretta), Roma 1983-84, loquitur de «invito a...».

⁵⁶ Non videtur claritatem offerre quod in *Comm.*, 14 (1982) 76 scriptum est. Consultores «sostengono la validità del canone che nel § 1 propone una norma obbligante tutti i chierici mentre nel § 2 vengono contenute esortazioni che specificano e completano la norma del § 1».

⁵⁷ Cfr. *Comm.*, 16 (1984) 174-178; 14 (1984) 77-78; *Schema-ta*, 120-121. In *Schemate* anni 1980 haec materia in cc. 250-251 exponitur.

⁵⁸ Cfr. *Comm.*, 3 (1971) 193.

⁵⁹ Cfr. *Comm.*, 16 (1984) 176.

sunt⁶⁰; et eadem data Diaconatus stabilis etiam pro viris maturioris aetatis matrimonio iunctis institutus est⁶¹.

De huius quaestionis diversis aspectibus, ut in *Communicationes* refertur, membra Commissionis multum disseruerunt⁶².

Unus ex Patribus animadvertibat Ecclesiae reformationem vi caelibatus ligatam esse; alius dicebat quoddam Americae Latinae seminarium, ob plurium alumnorum protestationem, clausum esse⁶³. Aliquis notabat non semper caelibatus legem observari, ad obtinendam dispensationem; alius observabat facilem dispensationis concessionem periculum «ne aperiatur porta» continere⁶⁴.

Fine finaliter, Consultores videntes quod in PO 16 caelibatus uti gratia Ecclesiae data consideratus est, finem posuerunt discussioni⁶⁵, et unanimiter expressionibus Decreti Conciliaris canonem construxerunt.

In examine canonis notare oportet:

- § 1 post annum 1980, sumens verba a PO 16, hanc formam sumpsit. Textus clarior et magis completus quam in CIC 1917 est. Proprior Evangelio est, et cum caelibatus praecepto

⁶⁰ Principium enuntiabatur in SC 76, applicatio autem in *Ministeria quaedam*, 15.8.1972, statuta est.

⁶¹ Cfr. LG 29; AG 16; M.P. *Sacrum Diaconatus Ordinem*, 18.6.1967; M.P. *Ad Pascendum*, 15.8.1972.

⁶² Cfr. *Comm.*, 16 (1984) 174-178. In pag. 178 legitur de una hebdomada discussionis circa hunc quaestionis aspectum; *Comm.*, 14 (1982) 77-78.

⁶³ Cfr. *Comm.*, 16 (1984) 177.

⁶⁴ Cfr. *ibid.*, 177-178.

⁶⁵ Cfr. *ibid.*, 178.

etiam principalia theologica principia praebet⁶⁶.

- § 2 clericis praecipit prudenter se gerere cum personis, quarum fraequentatio periculum ad servandam continentiam vel ad scandalum fidelium vertere possit. Paragraphus satis sobria, attamen non minus efficax est quam quattuor paragraphi canonis 133 CIC 1917, qui magna cum redundantia exponebantur. Notare debemus insistentiam Codicis praeteriti circa «mulieres» iam ab anno 1977 in schematibus non amplius inveniri⁶⁷, et hoc nostris temporibus magni momenti est. Etiam fortissima § 4: «contumaces praesumuntur concubinari», a Patribus in prima sessione sublata est⁶⁸.
- § 3 dicit Episcopi dioecesani competentiam circa hanc materiam in statuendis normis et in vigilantia. Statuere normas magis determinatas est novum Episcopi munus. Secundum schema anni 1977 in absolvendo hoc munere Episcopus audire Consilium presbyterale tenebatur⁶⁹. Haec conditio et in schemate anni 1980 inveniebatur, Attamen aliquis notabat:

*«Clausula videtur contra ius posita et est periculosa.
Unus est legislator Episcopus; casus particulares de se non*

⁶⁶ Cfr. J. BEYER, *Adnotationes*, 42-44; T. BERTONE, *Obblighi*, 61-62; ID., *Ministeri ordinati e «stato clericale»*, in AA.VV., *La legge per l'uomo. Una Chiesa al servizio*, Roma 1979, 117-118.

⁶⁷ Cfr. *Schemata*, 120, c. 136.

⁶⁸ Cfr. *Comm.*, 16 (1984) 174-178. Nullum tenue indicium quod rem uti solutam praebeat, datur.

⁶⁹ Cfr. *Schemata*, 120, c. 136 § 2.

*publice sunt tractandi, et si diverso est agendum modo, ipse Episcopus pro prudentia sua Consilium presbyterale apto et discreto modo audiat*⁷⁰.

Haec animadversio fuit forsitan causa suppressionis clausulae.

Ultima adnotatio: non amplius de sacrilegi peccato fit sermo: «Non fit mentio ut in CIC. Res pertinet ad theologiam moralem»⁷¹

7) *Studia etiam post ordinationem sunt proseguenda* (can. 279).

Canon de tribus aspectibus clericorum vitae culturalis agit. Fons proximus in PO 19 est inveniendus.

- § 1 canonem 129 CIC 1917, de studiis (illic praesertim) sacris, explicite sublineando Sacram Scripturam et Conciliorum et Romanorum Pontificum documenta, post ordinationem non intermittendis iterum proponit.
- § 2 sic dictum «aggiornamento» pastorale et theologicum formis actualibus persequendum praescribit. Praecepta can. 131 CIC 1917 temporibus hodiernis aptata inveniuntur.
- § 3 utilitas ad ministerium pastorale adimplendum aliquarum scientiarum, earum praesertim cum sacris connexarum, affirmatur.

Consultores conveniunt esse abolenda examina praecedenter statuta per integrum triennium post ordinationem⁷².

⁷⁰ Cfr. J. BEYER, *Adnotationes*, 44. Cfr. etiam: *Comm.*, 14 (1982) 78, ubi Commissionis Secretarius eandem animadversionem exponebat.

⁷¹ Cfr. J. BEYER, *Adnotationes*, 42.

⁷² Cfr. *Comm.*, 16 (1984) 174.

8) *Residentia in dioecesi* (can. 283 § 1)

Textus can. 143 CIC 1917 servatur. Cadit verbum «beneficium», quia systema beneficiale abolitum est; et post «notabile tempus», additur «iure particulari determinandum»⁷³.

Clausula «licet officium residentiale non habeant» nobis superflua videtur. Nam qui lege residentiae in dioecesi tenentur, id est Episcopus et Parochus⁷⁴, poena punirentur si graviter hanc obligationem violarent⁷⁵; ergo pro omnibus clericis, independenter ab officio, norma vigere videtur.

9) *Habitus ecclesiasticus* (can. 284)

Prima pars § 1 can. 136 praecedentis Codicis iterum proponitur. Anulum et tonsura supprimuntur. Commissionis membra anno 1966 conveniunt tonsuram plerumque desuetudine abrogatam esse, et moribus multorum regionum non convenire.

In novo Codice non amplius simplicis capillorum cultus vestigia inveniuntur.

Notandum est normam circa habitum ecclesiasticum non amplius primo loco consuetudinibus et deinde Ordinario loci concedi; sed praeprimis Conferentiis Episcopalibus et deinde consuetudinibus. Hoc minimi momenti non est.

Praeterea notare oportet etiam in CIC 1917 *habitum ecclesiasticum* non exclusive uti vestem talarum intelligendum fuisse. Nam ab anno 1966 (v.gr.,

⁷³ Cfr. *ibid.*, 184.

⁷⁴ Cfr. cc. 395, 533.

⁷⁵ Cfr. c. 1396.

⁷⁶ Cfr. *Comm.*, 16 (1984) 179; 3 (1971) 193.

in Italia) CCEE usum sic dicti «clergyman» concedebat⁷⁷.

Anno 1980 Consultores canonem de habitu ecclesiastico uti propositum retinuerunt. Nam, uti Paulus VI dixerat, habitus signum propriae conditionis est, atque elementum qualificans ministerii sacri illius qui habitum portat⁷⁸.

Etiam Ioannes Paulus II in litteris ad Card. Poletti, 8.9.1982 datis, eadem principia iterum proponit⁷⁹. Praecisare oportet «habitum ecclesiasticum» eundem non esse ac «habitum liturgicum».

Circa «obligationem» habitum ecclesiasticum deferendi inter commentatores non subsistit concordantia: Unus de «officio»⁸⁰, alius de «obligatione»⁸¹ loquitur; tertius evasive normas can. 284 de «habitu decoroso» citat⁸², quartus in questionem non ingreditur⁸³.

Non deest qui observat normas, etiam quae a Conferentia episcopali italica dispositae sunt, multum ab usu modificatas esse. Et praeterea animadvertit

⁷⁷ Cfr. *L'Osservatore Romano*, 25.4.1966.

⁷⁸ «Il canone piace com'è: esso, infatti, raccoglie anche le ragioni addotte dal Santo Padre, e cioè la veste ecclesiastica come segno della propria dedizione ed anche come elemento qualificante della propria condizione di detentori di un ministero pubblico»: *Comm.*, 14 (1982) 81; agitur de Litteris Pauli VI, *Novo incipiente* 8.4.1979, data.

⁷⁹ Cfr. *L'Osservatore Romano*, 18-19.10.1982.

⁸⁰ Cfr. G. GHIRLANDA, *Il diritto nel mistero*, 38; italice: «dovere»; *CIC Edizione bilingue*, I, 236.

⁸¹ Cfr. A. DEPASQUALE, *La gerarchia*, 143-145; italice «obbligo».

⁸² Cfr. T. BERTONE, *Obblighi e diritti*, 61.

⁸³ Cfr. J. BEYER, *Adnotationes*, 49-50.

facile non percipi rationes iustificantes habitus ecclesiastici *deferentiam semper et ubique*⁸⁴.

Tempore hodierno deest uniformitas in usu habitus ecclesiastici clericorum (exclusis permanentibus diaconis)⁸⁵. Ex una parte, aliqui (sed semper minori numero) adhuc vestem talarem gerunt; ex altera, aliqui nullum signum retinent. Et hoc fit non solum quando nullum pastorale ministerium exercent, sed etiam quando ministerium suum in muneribus non stricte liturgicis evolvunt. Inter duas extremas positiones, magnae «ecclesiasticorum vestimentorum» varietates inveniuntur, quarum descriptio nimis difficilis est.

Nequeo abscondere quod in prima redactione hanc «obligationem» inter «exhortationes» inserueram. Nunc autem profiteri debeo me multas huius commutationis rationes non invenisse.

10) *Abstinencia ab iis, quae dedecent et sunt statui clericali aliena* (can. 285)

Quattuor paragraphi huius canonis materiam canonum 137-140 CIC 1917, sine exemplis illic expressis, iterum praescribunt.

— § 1 principium abstinendi ab iis quae dedecent, secundum iuris particularis praescripta, enuntiat⁸⁶.

⁸⁴ «Le norme previste dalla CEI sono state in gran parte modificate dall'uso. Del resto se si pone in discussione la concezione di uno stato clericale separato e contrapposto allo stato laicale, riesce difficile trovare una giustificazione per un abito proprio che contraddistingua il chierico sempre e dovunque, anche al di fuori del ministero propriamente detto»: A. DEPA-SQUALE, *La gerarchia*, 146 nt. 71.

⁸⁵ Cfr. c. 288, qui eos ab hac obligatione exonerat.

⁸⁶ In primis revisionis gressibus «ius particulare» a Conciliis

- § 2 paragraphum 1 can. 139 CIC 1917 iterum proponit, et clericos invitat ad vitanda ea etiam quae, etsi non indecora, tamen a vita consecrata aliena sunt.
- § 3 simpliciori versione paragraphos 2 et 4 can. 139 praecedentis Codicis refert.
- § 4 gestionem bonorum laicorum et officia saecularia cum reddendarum rationum onere, fideiubendum et subscribenda syngrapha prohibet. Remanet autem exceptio quae ab Ordinario concedi potest.

Mutationes in Commissionis laboribus latae, irrelevantes sunt⁸⁷. Invitatio ad observandas exemptiones a muneribus et civilibus officiis, quae leges civiles et Conventiones concedunt, proponitur in § 2 can. 289.

11) *Negotiationis et mercaturae prohibitio* (can. 286).

Can. 142 CIC 1917, cui additur clausula «nisi de licentia legitimae auctoritatis ecclesiasticae»⁸⁸, iterum sumitur.

Principium remanet; attamen exceptio introducit.

12) *Clerici et factiones politicae et consociationes syndicales* (can. 287 § 2)

Canon, in suis duabus paragraphis, de relatione clericos inter et *vitam civium* agit. § 1 (de qua postea)

particularibus vel a CCEE statui debebat: cfr. *Comm.*, 16 (1984) 181; 3 (1971) 194. Solutio finalis certo certius melior est.

⁸⁷ Cfr. *Comm.*, 16 (1984) 181-183; 3 (1971) 194; 14 (1982) 81-84.

⁸⁸ Cfr. *Comm.*, 16 (1984) 183-184. In P. ERDŐ, *Expressiones*, 21, vox «prohibeo» uti simplex negativa obligatio comprehendenda est.

clericos ad fovendam pacem et concordiam exhortatur. § 2 prohibet quominus clerici in factionibus politicis et in regendis consociationibus syndicalibus partem habeant. Iterum assumitur, et fortius proponitur, § 4 can. 139 praeteriti Codicis.

Condiciones politicae multum mutatae sunt, et ultimis his temporibus syndicales consociationes in diversarum nationum vita magni momenti fuerunt; unde et in Codicem ingressae sunt.

In paragrapho abstinentiae principium praebeatur, sed etiam exceptio praevidetur. Si necessarium appareat iura Ecclesiae defendere vel bonum commune promovere, «Auctoritas competens» exceptionem concedere potest.

Problema consistit in identificatione auctoritatis competentis; quae, respiciendo Codicem praeteritum, non amplius necessarie Sancta Sedes esse videtur. Praeterea in hac paragrapho distinctio inter loca prohibitionis et loca permissionis superatur.

In Commissionis laboribus quaestio non facilis et linearis fuit. In 1^a Sessione dicebatur:

«Clericus vitae sociali cooperetur, quod in casibus particularibus, de consensu et sub competentia auctoritatis sui Ordinarii, fieri potest sive scientiae investigandae aut tradendae operam conferendo, sive etiam manibus laborando et ipsorum operariorum sortem participando, exclusa tamen omni factionibus politicis participatione»⁸⁹.

Sed Consultores non erant concordēs. Discussio animata fuit: «Quare, omnibus consentientibus, non servatur textus»⁹⁰.

⁸⁹ Cfr. *Comm.*, 16 (1984) 179.

⁹⁰ Cfr. *ibid.*

Anno 1971, in praesentatione studiorum Commissionis operae, legitur:

«Additur alia norma, qua ipsis prohibetur quominus activam in factionibus politicis partem habeant, nisi, iudicio competentis auctoritatis ecclesiasticae, Ecclesiae utilitas aut bonum commune id requirant»⁹¹.

Duo observanda sunt:

- 1) Prohibitio tantum partem activam in factionibus politicis respicit; syndicales consociationes non citantur. Conclusio possibilis est: quod explicite non prohibetur, permittitur.
- 2) Auctoritas, anno 1966, Ordinarius erat; nunc, auctoritas «competens» est. Mutatio magni sane momenti.

In III^a Sessione prohibitio activae participationis in syndicalibus consociationibus iterum apparet. Praeterea determinatio auctoritatis competentis praebetur, remittendo ad § 2 can. 146 eiusdem schematis⁹². Incisum, quod nobis interest, dicit:

«Officia publica (...) ne assumant Episcopi sine licentia Sanctae Sedis, nec clerici nisi obtenta, in locis ubi intercesserit prohibitio pontificia, licentia eiusdem Sanctae Sedis, in aliis vero locis licentia tum Ordinarii proprii tum Ordinarii loci in quo potestatem administrationemve exercere intendunt».

Hoc in schemate siletur de sic dictis «clericis operariis». In schemate anni 1980 canon eundem textum habet.

⁹¹ Cfr. *Comm.*, 3 (1971) 194.

⁹² Cfr. *Comm.*, 14 (1982) 83.

Codex eandem formulationem praebet; privatam, autem, explicatione circa auctoritatem competentem.

Quaeritur:

- 1) Estne mutatio erga Codicem praecedentem?
- 2) Eligiturne expressio «incerta» ad permittendas consultationes et interventus ampliores?

13) *Abstinentia a militari servitio* (can. 289 § 1)

Antea haec norma (cf. § 1 can. 141 CIC 1917) inter privilegia enumerabatur. Nunc ponitur inter obligationes quas, ubi possibile sit, clerici observare tenentur. Haec paragraphus, primum servitium militare uti statui clericali minus congruens dicit; postea, affirmat clericos et candidatos ad sacros ordines⁹³ militiam voluntarios capessere non debere; deinde, si casus hoc ferat, praescribit licentiam Ordinarii clerici proprii.

14) *Vocationum cura* (can. 233)

In I^a Sessione Consultores, post animadversionem circa locum, inseruerunt vocationum curam inter clericorum obligationes proprias⁹⁴.

Eodem loco invenitur in relatione anni 1971⁹⁵.

In schemate anni 1977, autem, vocationum cura ut propria omnium christifidelium invenitur in *Cap. I De clericorum institutione*⁹⁶. Eandem positionem in III^a Sessione, anno 1979, tenet. Textus, tunc simplicior factus⁹⁷, in Codice ad § 1 can. 233 invenitur.

⁹³ Candidati ad sacros ordines anno 1979 adduntur: *ibid.*, 84.

⁹⁴ Cfr. *Comm.*, 16 (1984) 186.

⁹⁵ Cfr. *Comm.*, 3 (1971) 195.

⁹⁶ Cfr. *Schemata*, 103, c. 84.

⁹⁷ Cfr. *Comm.*, 14 (1982) 33-35.

B) Exhortationes

In Codice, etiam in parte nostro examini posita, inveniuntur «exhortationes (et) commendationes in quibus facti species potest esse magis vel minus definita»⁹⁸.

Respicendo ad singulorum canonum expressiones, non semper facile est formulas praeceptivas ab exhortativis expressionibus distinguere⁹⁹. Nam inse-ruimus inter «obligationes» canones qui verbis exhortationis formulantur, sed nobis fortiores ac simplex commendatio videbantur. «Sed incertitudo facti speciei, id est materiae huius obligationis, monstrare videtur, quod haec obligatio magis moraliter quam iuridice gravis sit»¹⁰⁰.

Praeterea in titulo huius capituli exhortationes non explicite citantur.

Denique observare oportet in catalogo obligationum in Commissionis sessionibus disceptatarum etiam adhortationes contineri¹⁰¹. Attamen fatendum est quod aliquae res, quae postuluntur et fortiter commendantur, non imponuntur. Cum de exhortationibus loquimur, ea quae non impununtur consideramus.

In canonum ordine tres invenimus. Nos autem, secundum Consultorum cogitationes anni 1966, quatuor adhortationes perpendemus.

⁹⁸ P. ERDŐ, *Expressiones*, 26.

⁹⁹ Cfr. *ibid.*, 22. Auctor praebebat exemplum c. 1001, in quo dicitur: «*curent* animarum pastores et infirmorum propinqui, ut tempore opportuno infirmi hoc sacramento subleventur». Et addit hanc obligationem (*curent*) gravem esse.

¹⁰⁰ *Ibid.*, 22-23.

¹⁰¹ Cfr. *Comm.*, 16 (1984) 172-186, 3 (1971) 192-195; 14 (1982) 71-84.

1) *De vitae communis momento* (can. 280)

Sine magnis emendationibus can. 134 CIC 1917 recipitur. Commissionis Consultores de impositione disceptaverunt:

«Quaestio deinde tractatur utrum admitti debeat, quod ius particulare possit imponere vitam communem clericis. Aliquis aestimat statuendum esse ut iure particulari vita communis clericorum imponi possit. Dissentiunt alii, ad quorum mentem, vita communis suaderi potest sed non imponi»¹⁰².

Postea, anno 1971, haec commendatio iterum proponitur omnibus clericis, qui insimul invitantur vitam communem servare, ubi iam haec consuetudo viget¹⁰³. Commissionis mens, et non solum verba, hanc electionem fovere, et certo certius non imponere intendit¹⁰⁴.

2) *De vitae simplicitate et de bonis, quae supersunt, operibus caritatis dandis* (can. 282)

Aliquis legit canon ut «praeceptum»¹⁰⁵; aliquis eum intendit uti «consilium»¹⁰⁶. Non deest qui affirmat: «Bona recepta ad sustentationem ex finalitate sua sunt diiudicanda. Dentur praeprimis in servitium Dei et Ecclesiae; non cumulanda sunt in proprium clerici patrimonium»¹⁰⁷.

¹⁰² *Comm.* 16 (1984) 178.

¹⁰³ Cfr. *Comm.*, 3 (1971) 193.

¹⁰⁴ Cfr. G. GHIRLANDA, *Il diritto nel mistero*, 38-39. Auctor diversas clericorum obligationes elencat, sed, cum ad vitam communem pervenit, scribit solum «sollecitudine verso la vita comune».

¹⁰⁵ Cfr. *ibid.*, 38; A. DEPASQUALE, *La gerarchia*, 150.

¹⁰⁶ Cfr. T. BERTONE, *Obblighi e diritti*, 66.

¹⁰⁷ J. BEYER, *Adnotationes*, 48.

Respiciendo ad Commissionis operam, notanda est aliqua evolutio:

In I^a Sessione, relate ad § 1, enuntiatur res: «De simplicitate vitae colenda imprimis agitur»¹⁰⁸. Relate ad § 2 refertur:

*«Insuper conveniunt omnes norma canonica esse affirmandam obligationem de usu bonorum quae clerici occasione exercitii officii ecclesiastici sibi comparant»*¹⁰⁹.

Anno 1971 haec verba proponuntur:

*«Nova proponitur norma de obligatione qua tenentur clerici ut, spiritu paupertatis imbuti, vitae simplicitatem colant atque etiam rectum faciant usum bonorum»*¹¹⁰.

In Sessione diei 15.1.1980, canon iterum in discussionem ponitur. De § 2 aliquis notat: «norma nimis fortis est, fundamentum non iuridicum sed tantum asceticum est»¹¹¹. Non deest qui § 2 suppressere proponit¹¹². Ex Commissionis laborum relatione, orientatio canonis interpretativa erga «exhortationem» ire videtur. Etiam PO 17, ex quo canon sumitur, de bonis quae supersunt loquens, tempore coniunctivo-exhortativo utitur, dum antea et postea indicativo usus est. Propterea, nostro iudicio, canon uti fortis adhortatio legendus est, quae etiam clericis «praeceptum normale» caritatis evangelicae erga communitatem et pauperes in animum revocat, post iustitiae officiorum absolutionem erga cooperatores et extraneos.

¹⁰⁸ *Comm.*, 16 (1984) 180.

¹⁰⁹ *Ibid.*

¹¹⁰ *Comm.*, 3 (1971) 194.

¹¹¹ «La norma è troppo forte e non ha base giuridica, ma solo ascetica»: *Comm.*, 14 (1982) 80.

¹¹² Cfr. *ibid.*

3) *De pace et concordia fovendis* (can. 287 § 1)

In I^a Sessione Commissionis refertur:

«Proponente Secretario adiuncto, positiva imprimis enuntiari debet obligatio fovendi concordiam inter homines et deinde obligatio negativa, de qua in can. 141, scilicet obligatio nullam opem ferendi intestinis bellis»¹¹³.

Vox «obligatio» ter apparet. Eadem legi possunt in relatione anni 1971¹¹⁴. In laboribus anni 1979 prohibitio interveniendi in bellis intestinis deletur. Ratio est: in nonnullis vicissitudinibus alicuius nationis clerici indifferentes manere non possunt¹¹⁵. Omnes enim noscunt recentia exempla in Europa et America Latina.

Commentatores generatim canonis characterem praeceptivum sublineant. Nostro iudicio, melius inserendus videtur, etsi non definitive, inter adhortationes. Rationes sequentes proponuntur:

- 1) Si canon retinisset obligationem clericis nullam opem ferendi intestinis bellis, quo in casu praeceptum clarum exposuisset, inter obligationes optime fuisset conservandus.
- 2) Canon, sic scriptus, nihil specifici clericis praecipit; memorat illis aliquod principium quod omnis homo moraliter observare tenetur.
- 3) Si hoc principium non consideratur specificum uniuscuiusque hominis, vi baptismi, tangit omnes

¹¹³ *Comm.*, 16 (1984) 194.

¹¹⁴ «In legislatione vero recognita, de omnium consultorum consensu, affirmatur prius positiva clericorum obligatio fovendi concordiam inter homines, ut deinde praedicta (...) prohibitio enuntietur». *Comm.*, 3 (1971) 194.

¹¹⁵ «Ci sono momenti nella storia di un paese per cui chierici non possono restare indifferenti»: *Comm.*, 14 (1982) 83.

christifideles, quibus beatitudines uti regula vitae dantur. Clericus, uti christifidelis, pacem fovere tenetur. Locus canoni inter christifidelium obligationes aptus esset.

- 4) Si praesens collocatio optima dicatur, canon habendus est uti exhortatio clericis facta, ad aliquid amplius quam christifideles pro pace et concordia operandi.

4) *De cooperatione vitae sociali*

In I^a Sessione Commissionis etiam haec exhortatio, quae postea recepta non est, proponebatur. Textus dicebat:

«Clericus vitae sociali cooperetur, quod in casibus particularibus, de consensu et sub competentia auctoritatis sui Ordinarii, fieri potest sive scientiae investigandae aut tradendae operam conferendo, sive etiam manibus laborando et ipsorum operariorum sortem participando, exclusa tamen omni factionibus poliicis participatione»¹¹⁶.

Secunda pars huius propositionis migravit in § 2 can. 287, de quo iam locuti sumus.

Multum disseruerunt de hac cooperatione Consultores. Aliqui animadvertabant sufficere quae in PO dicta sunt. Alii huius cooperationis specialem mentionem nolebant. Alii cogitabant «textum includere periculum ne clerici in rebus temporalibus se immisceant. Quare omnibus consentientibus, non servatur textus»¹¹⁷.

Cooperatio vitae sociali manet autem principium pro omni christifideli.

¹¹⁶ *Comm.*, 16 (1984) 179.

¹¹⁷ *Ibid.*

C) Clericorum iura

In hoc capite recensentur clericorum iura, ratione status clericalis, propria:

«Clericis autem etiam per se competunt iura quae omnibus christifidelibus agnoscuntur, et de quibus sub alio titulo in Codice I.C. recognito agitur»¹¹⁸.

Sequentes Coetus Commissionis operam, *septem clericorum iura* invenimus: ius ad obtinendum aliquod ministerium ecclesiasticum; ius sese cum aliis conso-ciandi; ius ad honestam et congruam remunerationem; ius ad debitum feriarum tempus; ius ad coope-randum cum proprio Episcopo; ius ad tempus suffi-ciens pro subsidiis spiritualibus et formatione perfi-cienda; ius ad competentem auctoritatem ecclesiasti-cam recurrendi.

Si autem huic Codicis capiti respicimus, tantum *tres* vel *quattuor* iura enumeramus. Ius sese conso-ciandi, ius ad remunerationem et ius ad feriarum tempus, ut «iura» agnoscuntur. Ius ad obtinendum ministerium ecclesiasticum non ab omnibus ut «ius» consideratur. De ceteris iuribus nihil.

Iura secundum canonum consecutionem exami-namus, sine ulla animadversione circa ius remunera-tionis, et animadvertentes uti ultimum ius consocia-tionis.

1) *Ius ad officium ecclesiasticum obtinendum*
(can. 274 § 1)

«Ius discussum» hoc definivimus. Quae res in canone non evidens apparet. Sed faciliter notatur in

¹¹⁸ *Comm.*, 3 (1971) 196.

Commissionis laboribus circa aliquem canonem antea propositum et postea suppressum.

Nos praecedenter canonis paragraphum et consecutive Commissionis animadversiones consideramus.

a) Uti diximus, nihil circa potestatis sacrae quaestionem, et ideo circa officia clericis reservata¹¹⁹, hoc loco dicere intendimus. Tantum aliqua de hoc «iure» exponuntur.

Hoc ius inveniebatur in can. 118 CIC 1917, et secundum Instituta tunc vigentia enuntiabatur: quia officium beneficio ligabatur, tantum de hoc ultimo sermo erat.

Sed Consultores proponunt voces «beneficia et pensiones» per vocem «officia» substituere¹²⁰, et contra hanc animadversionem desunt oppositiones. Nam in relatione dicitur:

«De omnium sententia, sermo fieri non debet de beneficiis, de iure scilicet ad beneficia ecclesiastica obtinenda, quia beneficia tantummodo ut accessoria ad officia habenda sunt»¹²¹.

Ex sententia *ius* videtur manere non amplius ad beneficium, sed ad officium. Clarior apparet Commissionis cogitatio anno 1966 expressa, ex qua forsitan relatio provenit. Tunc Consultores affirmant clericorum «ius obtinendi missionem in actione pastoralis Ecclesiae. Quidam proponit ut dicatur ius “ad aliquod ministerium obtinendum”»¹²². Quia omnes

¹¹⁹ Cfr. *ibid.*, 195.

¹²⁰ Cfr. *Comm.*, 16 (1984) 169.

¹²¹ *Comm.*, 3 (1971) 195.

¹²² *Comm.*, 16 (1984) 170.

concordant¹²³, proponitur sequens canonis textus:

«§ 2. Clerici, verificatis condicionibus iure requisitis, ius habent ad obtinendum aliquod ministerium ecclesiasticum»¹²⁴.

Haec verba omnia dubia de sensu iuris fugant. Postea, sed hoc minoris momenti est, quaestio fit etiam de voce «officia». Si «officium» ut vox arcaica consideratur, «munus» non exprimit ministerii stabilitatem; ergo vox «officia» retinetur¹²⁵.

Relate ad huius paragraphi auctorum animadversiones, in quantum videre potuimus, hoc ius, etsi non ab omnibus bene affirmatum¹²⁶, numquam in discussionem ponitur. Generatim sacra Ordinatio videtur fons iuris ad ministerium sacrum exercendum¹²⁷.

Notandae sunt autem diversae interpretationes verborum «clerici *obtinere possunt*»: Aliqui ea intendunt uti principium doctrinale ex quo fluit omnes «non clericos» nullum officium ecclesiasticum obtinere posse¹²⁸. Alii verba suscipiunt uti rem certam, id est: tantum clerici «obtinere» officium; de ceteris canon nihil dicit nec affirmative, nec negative¹²⁹. Alii

¹²³ Cfr. *ibid.*

¹²⁴ *Ibid.*

¹²⁵ Cfr. *Comm.*, 14 (1982) 72-73.

¹²⁶ Cfr. *CIC Edizione bilingue commentata*, 228-230.

¹²⁷ «È inoltre certo che con l'ordinazione diaconale, presbiterale o anche episcopale si acquisisce un diritto a un ufficio ecclesiastico a norma del can. 145, cioè il diritto che agli ordinati vengano affidate delle missioni concrete, che diano contenuto attivo alla loro destinazione sacramentale»: T. BERTONE, *Obblighi*, 64.

¹²⁸ Remittimus ad nostram dissertationem: Cap. I, pp. 77-229, 375-429.

¹²⁹ Cfr. Cap. III nostrae dissertationis pp. 341-373.

putant canonem statuere clericos *per se* (nativum) ius ad officia ecclesiastica obtinenda habere.

Hoc non excludit etiam laicos, qui hoc ius vindicare nequeunt, ab auctoritate Ecclesiae ad officia ecclesiastica exercenda vocari posse¹³⁰. Quod et Codex statuit¹³¹. Nostro iudicio, illa officia exercitium sacrae potestatis non semper excludunt. Relate ad hanc canonis paragraphum, sub Consultorum ductu, possibile videtur loqui de clericorum «iure» ad officia ecclesiastica.

b) Res non manet ita clara et certa, si operam Commissionis sequimur. Antea, uti innuimus, Consultores explicitè de iure locuti sunt; postea non amplius ita firmi videbantur.

Communicationes multum de hoc canone (nunc sub n. 129) referunt. Aliqui Consultores canonis suppressionem proponunt, quia simpliciter autumant ius clericorum ad officium sustineri non posse. Praeses in hoc canone diversorum conflictuum periculum videt. E contra aliquis putat magni momenti ius ad officium defendere ut fit in diversis civilibus ordinamentis. Alii dicunt ius originari ex incardinatione, et ergo implicitum esse. Et ita porro. Fine finaliter electionem faciunt. Exitus: 4 vota pro suppressione, et 4 pro conservatione canonis. Praeses responsabilitatem decisionis abolendi canonem sumit¹³³.

¹³⁰ Cfr. G. GHIRLANDA, *De obligationibus et iuribus Christifidelium laicorum*, in P. A. BONNET-G. GHIRLANDA, *De Christifidelibus, de eorum iuribus, de laicis, de consociationibus. Adnotationes in Codicem*, Roma 1983, 65-66.

¹³¹ Cfr. cc. 228, 230, 1282, 1283 § 1.

¹³² Legi debet c. 1421 § 2, cum c. 391 § 2.

¹³³ «Clerici, utpote Episcopi cooperatores, impletis conditio-

Hac in sessione, contrario modo iis quae usque adhuc notavimus, dicitur hoc ius sustineri non posse. Causa, ex una parte, «periculositas» eventualium controversiarum esse videtur. Nam Consultores non sunt concordēs et electionem petunt. Ex alia parte, canon implicate in aliis canonibus contineri videbatur.

nibus iure requisitis, ius habent ad obtinendum officium ecclesiasticum.

Si propone da vari consultori che il canone venga soppresso perché non si può sostenere lo «ius ad officium» da parte del chierico. Il Card. Presidente afferma che il canone può dare adito a molte controversie e quindi può essere pericoloso, soprattutto se l'ufficio viene inteso come «munus stabiliter collatum».

Il secondo Consultore sostiene invece che la norma è valida perché difende il diritto all'ufficio come pure avviene nei vari codici civili. Può esserci il caso però che un chierico è inabile a qualsiasi ufficio. Forse è meglio parlare dell'obbligo che il chierico ha in seguito all'incardinazione di prestare il servizio a lui chiesto dall'Ordinario.

Mons. Segretario e il primo Consultore affermano l'inutilità del canone perché il chierico incardinato è per sé accettato dall'Ordinario per svolgere una attività ed avere un compito da svolgere in diocesi. È sufficiente quanto già si dice nelle Norme Generali circa l'ufficio e la idoneità del chierico a svolgere tale ufficio.

Il quinto Consultore afferma che il Chierico ha diritto all'ufficio non come collaboratore del Vescovo, ma perché è incardinato in Diocesi.

Il sesto Consultore considera che il testo dovrebbe essere modificato, in modo che in esso si parli non di un «munus stabiliter collatum», ma di uno «ius ad aliqua munera sacra exercenda».

Si chiede la votazione: 4 Consultori votano per la soppressione del canone; 4 Consultori perché il canone rimanga.

Il Card. Presidente dirime la parità in favore della soppressione del canone»: *Comm.*, 14 (1982) 73-74.

c) Coram his duabus oppositis situationibus tria animadvertenda sunt:

1) canonem suppressum esse, quia clericorum ius ad officium non sustinetur;

2) canonem abolitum esse ad controversias non fovendas;

3) canonem non retineri, quia «ius implicitum» affirmat.

Nostro iudicio, post hoc examen et post Commissionis laborum explorationem, ius manet et satis explicitum se monstrat: positive in § 1 can. 274; negative in § 2 eiusdem canonis, quae responsabilitatem executionis officii praescribit.

2) *Ius ad sustentationem et congruentem praecautiorem et adsistentiam sanitariam* (Can. 281)

Etiam hoc ius in I^a Sessione Commissionis inter «Iura clericorum determinanda enumeratur»:

«Etiam ius ad honestam sustentationem affirmari debet, et quidem, iuxta omnes, secundum praescripta Decreti «Presbyterorum Ordinis»¹³⁴. De hoc nihil amplius pro tempore.

3) *Ius ad feriarum tempus* (can. 283 § 2)

Est novum clericorum ius.

«Affirmari etiam debet eorundem ius ad tempus feriarum sufficiens; quod omnes admitunt, sed nonnulli aestimant addendum esse hoc tempus iure particulari determinandum esse»¹³⁵.

Anno 1980, pro «particulari» vox «universali» ponitur. Et in Commissionis relatione legi potest:

¹³⁴ *Comm.*, 16 (1984) 171.

¹³⁵ *Ibid.*; cfr. etiam *Comm.*, 3 (1971) 196.

«Canon omnibus placet uti stat, nam hoc tempus pro Episcopis et Parochis iure universaliter determinatur»¹³⁶. Talis vero interpretatio esset discriminans pro ceteris clericis, quorum feriarum tempus a iure particulari determinatum non esset. Addere autem debemus causam huius affirmationis aliquem lapsum esse, minimum pro Vicariis paroecialibus, nam ius universale illis idem feriarum tempus ac Parochis tribuit¹³⁷, quibus ad summum unus mensis continuus aut intermissus, exercitiis spiritualibus exclusis, conceditur¹³⁸. Idem tempus Episcopis, dioecesano, coadiutori et auxiliari, pro feriis reservatur¹³⁹.

De feriarum tempore clericorum ceteris officiis incumbentium Codex nihil dicit. Dispositiones a iure particulari determinatae praesumuntur.

Hoc ius cum iure ad remunerationem «substitutivam», quae apud omnes nationes viget, colligari videtur. Nam aliqui clerici sunt Magistri in Publicis Scholis, Carcerum et Hospitalium Cappellani, etc. Omnes isti, sicut omnes alii operarii, in syngraphae conscriptione, habent feriarum tempus determinatum. Et quando hoc tempore uti nequierint, ius ad oeconomicum compensum substitutivum habent. Quaestio et pro clericis ponenda est: Si Vicarius paroecialis, Parochus vel Episcopus tempore feriarum pro diversis rationibus non uterentur, haberentne ius ad remunerationem substitutivam? Problema ita academicum non est, uti immediate videretur.

¹³⁶ «Il canone piace a tutti com'è, anche perché questo tempo viene determinato nel diritto universale per quanto concerne i Vescovi e i Parroci»: *Comm.*, 14 (1982) 81.

¹³⁷ Cfr. c. 550 § 3.

¹³⁸ Cfr. c. 533 § 2.

¹³⁹ Cfr. c. 410. Notandum est quod in Schemate anni 1980 feriarum tempus non determinabatur.

4) *Ius cooperandi cum proprio Episcopo*

Consultores etiam hoc novum ius expressionibus certissimis in I^a Sessione asseruerunt:

«Primo loco affirmandum proponitur clericorum ius ad cooperationem cum proprio Episcopo, et deinde eorundem ius obtinendi missionem in actione pastoralis Ecclesiae»¹⁴⁰.

Anno 1971 hoc ius, uti diximus, est profunde ligatum cum iure ad obtinendum aliquod ministerium ecclesiasticum¹⁴¹. In Schemate anni 1977 novus canon propositus dicit:

«Clerici utpote Episcopi cooperatores, impletis conditionibus iure requisitis, ius habent ad obtinendum officium ecclesiasticum»¹⁴².

Affirmatur ius ad obtinendum officium ecclesiasticum; sed pro «ius ad cooperationem» cum Episcopo, incisum «utpote Episcopi cooperatores» ponitur. Non facilliter ratio comprehenditur. Manet dubium utrum ius affirmetur clarum, an suppressum sit.

5) *Ius ad tempus sufficiens pro subsidiis spiritualibus et formatione perficienda.*

Magni momenti sunt Consultorum animadversiones, quarum synthesis in relatione anni 1971 refertur¹⁴³. In *Communicationes* ita legitur:

«2) Ulterius, iuxta plerosque, affirmari debet ius clericorum ut habeant tempus sufficiens liberum ut uti possint subsidiis ad vitam spiritualem fovendam necessariis; insuper

¹⁴⁰ *Comm.*, 16 (1984) 170.

¹⁴¹ Cfr. *Comm.*, 3 (1971) 195.

¹⁴² *Schemata*, 118, can. 129.

¹⁴³ Cfr. *Comm.*, 3 (1971) 196.

ut possint vacare studiis ad perficiendam suam formationem intellectualem; iuxta aliquos tamen (duo Consultores), ius eorundem non debet affirmari, sed potius officium Episcopi ipsis praebeandi tempus necessarium. Ius affirmandum censent sex simul Consultores. Quare iuxta sententiam maioritatis, proponitur textus ut sequitur: Can. Ius est clericis ut sibi praebeatur tempus requisitum ad utendum subsidiis ad vitam supernaturalem fovendam necessariis necnon ad formationem intellectualem, praesertim theologicam, per studia perficiendam»¹⁴⁴.

In Schemate anni 1977 hoc clericorum *ius*, Episcopi dioecesani obligatio fit¹⁴⁵.

In Sessione anni 1980, Commissionis Praeses, nullis rationibus adductis, canonem suppressere proponit. Et hoc, proh dolor, accidit¹⁴⁶.

In aliquibus situationibus, ob clericorum penuriam vel aliam causam, in quibus quidam nimia officia tenent, non fuisset omnino inutilis aliqua norma, ex qua clerici hoc ius ad formationem spiritualem et culturalem perficiendam, et Episcopi responsabilitas huius obligationis sublineari potuissent, saltem innixa in aliquo de hac materia canone.

6) *Ius ad competentem auctoritatem recurrendi*

In periodicis *Communicationes* anni 1966 et 1971 hoc ius uti ultimum enuntiatur.

«Tandem ius quoque ad competentem auctoritatem ecclesiasticam recurrendi, ut iura statui clericali propria vindicare valeant»¹⁴⁷.

¹⁴⁴ *Comm.*, 16 (1984) 171.

¹⁴⁵ «Can. 138 (novus) "Curent Episcopi dioecesani ut clericis praebeatur tempus necessarium ut frui valeant mediis..."»: *Schemata*, 121.

¹⁴⁶ *Cfr. Comm.*, 14 (1982) 79.

¹⁴⁷ *Comm.*, 3 (1971) 196; *cfr. Comm.*, 16 (1984) 172.

In schemate anni 1977 nulla huius iuris vestigia remanent. In hac nostra investigatione nullam huius absentiae causam invenimus. Attamen eam conicere possibile est. Ius ad competentem auctoritatem recurrendi in casu in quo iura et iustitia conculcantur, ius est humanum fundamentale; ergo superfluum fuisset hoc pro clericis specificè principium enuntiare.

D) Clericorum sese consociandi ius

Tertium locum inter «iura clericorum determinanda», anno 1966 proposita¹⁴⁸, hoc ius tenebat. Quia de materia «complexa» agit, ampliori istud modo et spatio tractabimus.

Hoc clericorum ius, etsi implicite, iam in canonibus 707 et 709 § 2 CIC 1917 innuebatur. Ex una parte de iure fidelium consociandi loquebantur; ex alia, dicebatur mulieres confraternitatibus adscribi posse tantum ad lucrandas indulgentias et gratias spirituales. Clerici, uti christifideles, et quia mulieres non sunt, hoc ius vindicare poterant.

Circa canonem praesentem, qui ius clericorum sese consociandi definit, aliquos formationis gressus observamus.

a) De specificitate clericorum iuris inter se consociandi prima vice n. 8 Decreti P.O. loquitur. Et hoc facit in contextu in quo de valore et de ministerio tractat unius Presbyterii Dioecesis, a Presbyteris sive dioecesanis sive religiosis constituti. Verba, quae magni momenti sunt, citamus:

«Magni quoque habendi sunt et diligenter promovendae associationes quae, statutis a competenti ecclesiastica aucto-

¹⁴⁸ Cfr. *Comm.*, 3 (1971) 196.

ritate recognitis, per aptam et convenienter approbatam vitae ordinationem et per iuvamen fraternum, sanctitatem sacerdotum in exercitio ministerii foveant, et sic toti Ordini Presbyterorum servire intendunt».

Ex hoc textu erumpunt aliquae animadversiones faciendae:

- 1) associationes magni momenti promovendae sunt;
- 2) associationum membra presbyteri sunt;
- 3) associationum statuta a competenti ecclesiastica auctoritate (quaenam? Episcopus dioecesanus? Concilium Episcopale Provinciale? Sancta Sedes? Unaquaeque auctoritas relate ad vastitatem territorii, in quo associatio extenditur?) recognoscenda sunt¹⁴⁹;
- 4) associationum finalitas est: sanctitatem sacerdotum in exercitio ministerii sui fovere et toti Ordini Presbyterorum servire;
- 5) media sunt: apta et approbata vitae ordinatio et iuvamen fraternum.

b) Commissionis Consultores in I^a Sessione, anno 1966, ea quae Concilium in P.O. 8 affirmavit, iterum proponunt. Sed textus relatus mentem non ita claram ut in Concilio praebet.

¹⁴⁹ Commentatores libri: *CIC. Edizione bilingue commentata*, 233-234, hanc conditionem considerare non videntur. Nam scribunt: «il presbitero (...) ha un legittimo ambito di autonomia e di libertà personale, nel quale rientra il suo diritto di associarsi, sia ad associazioni civili, sia ad associazioni costituite all'interno della Chiesa, tranne sempre i limiti generali imposti dalla morale e dai doveri della sua condizione sacerdotale». Concilium et canon CIC de iure specifico et de determinatis condicionibus loqui videntur et non, uti ex hoc commentario apparet, de iure fondamentali. Si ita fuisset, Codex in alio loco de hoc tractavisset et certo certius ius soli presbytero saeculari non limitavisset.

«3) *Insuper proponitur ab uno Consultorum ut affirmetur clericorum ius ad associationes cum aliis clericis constituendas ad fines honestos. Animadvertit alius hoc ius non esse clericis exclusivum, sed esse ius omnibus christifidelibus commune, et ideo hoc ius non esse affirmandum in hoc loco. Cum autem respondet quidam Consultor utile esse ut hoc ius specialiter etiam de clericis affirmetur, omnes admittunt textum quemdam proponi posse, quo hoc ius affirmetur. Proponitur ergo textus provisorius:*

Can. "Ius est clericis sese consociandi cum aliis ad vitam spiritualem fovendam vel ad alios fines honestos statui clericali congruentes consequendos"»¹⁵⁰.

Statim notandum est:

- 1) «Cum aliis» nullam ulteriorem explicationem habet; ergo non tantum clerici, sed etiam aliae personae intendi possunt¹⁵¹;
- 2) finalitas, uti expressa, hanc interpretationem permittit, id est: clerici, servata clausula «statui clericali congruentes», vitam spiritualem et alios fines honestos ceterorum Associationis membrorum persequi tenentur;
- 3) «honestos» vox nimis vaga est;
- 4) disparuit servitium toti Ordini Presbyterorum;
- 5) media, de quibus in P.O. n. 8, hic «fines honesti» devenerunt.

c) In Schemate anni 1977 hoc ius exponitur in quattuor paragraphis can. 137¹⁵².

¹⁵⁰ *Comm.*, 16 (1984) 171. Hoc ius, verbis canonis supradicti exponitur etiam in: *Comm.*, 3 (1971) 196.

¹⁵¹ Cfr. J. BEYER, *Adnotationes*, 46. Auctor huic canoni hanc interpretationem tribuit.

¹⁵² «Can. 137 (novus)

§ 1 Ius est clericis sese consociandi cum aliis ad fines honestos statui clericali congruentes consequendos.

§ 2 Magni habeant clerici saeculares illas praesertim conso-

- § 1 iisdem formatur expressionibus, praeter primam finalitatem: «ad vitam spiritualem fovendam», quae infra refertur.
- § 2, quae magna ex parte textum a P.O. sumit, aliquas animadversiones consentit:
 - 1) «sacerdotales associationes», de quibus in P.O., ius secundarium fieri videntur; ius sese consociandi sine ulla specificitate videtur;
 - 2) clerici, de quibus in hac paragrapho, «saeculares» sunt; «regulares» ideo excluduntur;
 - 3) prope finalitati vitam spiritualem in exercitio ministerii fovendi, etiam finalitas invenitur unionem clericorum inter se et cum Episcopo fortiolem efficiendi. Haec videtur quaedam interpretatio verborum «Ordini Praesbyterorum servire» quae in Decreto P.O. inveniuntur.
- § 3 clericos saeculares invitat ad nomen illis consociationibus dandum, quae, servantes indolem cleri saecularis propriam, omnem perso-

ciationes quae, statutis a competenti auctoritate recognitis, per aptam et convenienter approbatam vitae ordinationem et fraternum iuvamen, sanctitatem suam in ministerii exercitio foveant quaeque clericorum inter se et cum Episcopo unioni favent.

§ 3 Illis tantum consociationibus presbyterorum cleri saecularis dent nomen, quibus indoles propria cleri saecularis servetur, quarumque statutis debite caveatur ut omni personarum acceptance seclusa, concordia inter omnia presbyterii Ecclesiae particularis membra plene promoveatur.

§ 4 Clerici abstineant a constituendis aut participandis consociationibus quorum finis aut actio propria cum obligationibus statui clericali propriis componi non valent aut diligentem muneris ipsis ab auctoritate ecclesiastica competenti commissi adimplerem praepedire possunt». *Schemata*, 120-121.

narum acceptionem secludant, et concordiam inter omnia praesbyterii Ecclesiae particularis membra plene promoveant.

Momentum huius paragraphi in eo stat, quod materia antea generice expressa clariori modo determinatur. Nam paragraphus 2 et clausula § 1 specificantur.

— § 4 iterum § 1 clarescit.

Notare oportet indiscriminate nomen consociationibus dare pro clericis periculosum esse. Sancta Sedes hoc clericis memoravit¹⁵³. Praeterea can. 1374 praecipit poena punire eos (clericos inclusos) qui nomen dant consociationi, quae contra Ecclesiam machinatur.

In Sessione ianuarii anni 1980 Consultores eundem canonem examinantes, aliquas conclusiones trahunt:

— § 1 placet cum emendationibus:

a) post «clericis», vocem «saecularibus» addere;

b) «honestos» supprimere.

Sine ulla expressa ratione amplitudo iuris solis saecularibus restringitur, et adiectivum inutile «honestos» eliminatur.

— § 2 manet uti erat.

— § 3 omnibus consentientibus etsi inexpressis rationibus, aufertur.

— In § 4 post «actio» adiectivum «propria» eliditur.

In schemate anni 1980 canon, emendationibus allatis, sub n. 252 apparet.

Exceptis duobus minimi momenti litterariis correctionibus, ita invenimus canonem 278 in CIC.

¹⁵³ Cfr. SACRA CONGREGATIO PRO CLERICIS, Declaratio: *Quidam Episcopi*, 8.3.1982, in AAS, 74 (1982) 642-645.

Expositis animadversionibus, aliquae quaestiones addendae sunt:

- 1) PO n. 8 estne considerandus fons omnium trium canonis paragraphorum?
- 2) Cur a «ius clericorum» ad «ius clericorum saecularium» in Commissionis laboribus transitus factus est? Regulares semper excluduntur, an includuntur in casu nominationis ad aliqua officia pastoralia in quadam Dioecesi?
- 3) «Ius consociandi» § 1 utrum intendendum est uti *generale* ius consociandi, an uti ius clericorum sese *inter se* consociandi?
- 4) Associationes, de quibus in canone, possuntne concrete identificari cum aliquibus hodiernis realitatibus, quae etiam in plano supradioecesano se gerunt, v.g. «Comunione e Liberazione», «Opus Dei», «Comunità neo-catecumenali», «Focolarini», «Cursillos», etc., an canon loquitur tantum de aliquibus solidaritatis materialis vel spiritualis formis in singulis Dioecesibus existentibus, v.g. Cleri Congregationes¹⁵⁴, Collegium Urbis Parochorum, etc.? An canon ambo considerat?
- 5) Si in istis associationibus etiam motus ecclesiales, qui propria charismata et optiones et vitae regulas habent enumerantur, quid dicendum de clericis regularibus, qui illis nomen dant? Hoc modo forsitan «exaustum» propriae familiae religiosae charisma dicunt?
- 6) Sanctitas personalis, de qua in § 2, estne separabilis ab exercitio ministerii proprii et ab unione presbyterorum inter se et cum proprio Episcopo?

¹⁵⁴ Cfr. P.L. SARTORELLI, *Le nove congregazioni del clero di Venezia* (estratto da *Palestra del clero* 6-7-8 del 1982), Rovigo 1982, 60 p.

- 7) In casu associationum quae, etsi optimas finalitates habeant, clericis diligentem muneris a competenti auctoritate ecclesiastica commissi adimpletionem praepediant, quis et quomodo intervenire debet?
- 8) In casu diversae pastoralis electionis ex parte associationis Praesidis et ex parte Episcopi, clericus secularis (vel regularis in ministerio ecclesiae particularis imbutus, si consociari potest) quam auctoritatem «sequi» debet?
- 9) Potestne Episcopus clericis in sua Dioecesi incardinatis impedire, ne in aliquam associationem, in qua timeat pericula in § 3 expressa, ingrediantur?

Quaestionibus expositis, quibus aliae apponi possunt, responsa dare facile non est.

Ex una parte canonis evolutio non omnino documentata est; ex alia, consecraria pastoralia et spiritualia non sunt bene distincta et insimul composita. Praeterea «ius consociandi», quod multas possibilitates praebet, non dicit utrum loquatur de clericorum associationibus, an de consociationibus quibus etiam clerici nomen dare possunt.

«Ius» videtur saecularibus (et cur non «dioecesanis»?) restringi. Ratio probabilis in eo stat, quod saeculares pro sua vita spirituali et pastoralis associationibus indigere possent; regulares vero, haec auxilia in familia sua inveniunt. Attamen notandum est;

¹⁵⁵ In Concilii Documentis vox «dioecesanus» non semper eundem sensum habet. Aliquando sacerdotes «dioecesani» a sacerdotibus «religiosis» distinguuntur, v. gr. in LG 28 et CD 28. Aliquando vox «dioecesanus» etiam religiosos sacerdotes includere videtur. In CD n. 34 enim asseritur: «Religiosi sacerdotes (...) vera quadam ratione ad clerum dioecesanum pertinere dicendi sunt, quatenus in cura animarum atque apostolatus operibus exercendis partem habent sub sacrorum Praesulum auctoritate».

- 1) quod in aliquibus regularium communitatibus oratio et vita communis animo non attento considerantur, quia pro aliquibus membris id quod interest alibi stat;
- 2) quod fidelitas aliquorum pastoralium munium a saecularibus clericis non semper diligenter servatur; nam aliquando illis magis condicionum et vitae suorum comitum, quam diligentiae in adimplendo mandato pastoralis ab Episcopo accepto, interest.

V) CONCLUSIO

Nunc opportuna videretur quaestio: quaenam clerici imago ex canonibus examinatis emergit?

Nostro iudicio, ex hoc Codicis capite clericus maturior et ad suam vitam praestandum habilior quam in Codice praeterito apparet.

Plures vitae et clerici missionis aspectus, antea sub Ordinarii vigilantia positos, nunc clericus sub personali responsabilitate et in cohaerentia cum sua vocatione et missione in Ecclesia persequi debet (cfr. cc. 276, 285, 287).

Codex videtur clericum ostendere non tantum uti «constantem rem», sed potius aliquas lineas fundamentales et magni momenti, ex quibus clericus «modo dinamico» describitur, praebere eligit.

Nam clericus, aliquibus fundamentalibus elementis (corpus nudis ossibus cohaerens) constructus, curare debet ut elementis corpus detur vivens diversas res, quae suae missioni ecclesiali luceant. Nam Codex, qui normas claras praebet (et huic suae proprietati renunciare non potest), potius inclinatus videtur perspicuo modo clericis aliquas formationis permanentis «vias» indicare.

Legendo canones, normae trans formulas viden-

tur memorare valores ab omni clerico persequendos, ut suae vocationi fidelis sit utque talenta recepta fructum reddant. Non ex casu privilegia tendentia ad conservandas clericorum «constantem dimensionem» eorumque positiones in saeculis acquisitas in detrimento itineris clericalis vocationis, abolita sunt.

Ex prospectu, distinctiones propositae (obligationes, exhortationes, iura) aliquo modo superantur, etsi exacta canonum examinatio illas omittere non possit, sed potius sublineare debeat, ut quicumque distinguere valeat inter ea quae sunt indispensabilia et ea quae solummodo, etsi enixe, commendantur.

Ratio evidens intendit diversas canonum expressiones perscrutare, non tantum ut quis minimum faciendum videat (hoc est, non obligationes absolvat spectando tantum legis periculosa consecutaria), sed potius ut, omnia considerando, valores comprehendantur et gradualiter in clerici vitam ingrediantur.

Hac ratione possibile est de omnibus obligationibus loqui, distinguendo attamen quae magni ab iis quae parvi sunt momenti; et hoc, ex una parte ne aliquae obligationes repellantur, et ex alia ne omnes eiusdem momenti considerentur. Si hoc recipitur, canonum formulatio nimis angusta et limitata (etsi aliter impossibile est) apparet. Ob eam rem unusquisque, ut aperto animo monstrationes ad clerici vitam pertinentes accipiat, ad fontes praecipuos recurrere debet. Numquam obliviscenda sunt quae toti Ecclesiae concreduntur in Decreto Conciliari de ministerio et presbyterorum vita: *Presbyterorum Ordinis*.

His dictis, affirmare possibile non est canones perscrutatos semper clerici omnino maturi imaginem praeberere; aliquando apparet clericos nondum maturitatem cepisse. Haec animadversio non fundatur prae-

cipue in canonibus examinatis, sed vim sumit ex rationibus a Consultoribus allatis quando canones propositos acceptaverunt aut non receperunt.

Iam notavimus septem fuisse iura determinanda, annis 1966-1971 proposita, dum in Codice tria certa esse, et unum «disputatum», relativum nempe ad ius clerici ad officium ecclesiasticum.

Consultorum vero animadversiones circa hoc ultimum «ius», nostro iudicio, clericum nondum maturitatem cepisse autumare faciunt. Clericus reagendum cum sui dominio coram fortuitis difficultatibus incapax retinetur; ergo, non loquendo de «iure», Consultores oppugnationis causam eicere voluerunt. Eodem modo attamen clericum inhabilem iuribus propriis vindicandis, uti virum minoris aetatis, declaraverunt.

Relate ad alia tria iura «non retenta» (ius cooperandi cum Episcopo, ius ad tempus requisitum pro utendo subsidiis ad vitam supernaturalem et formationem intellectualem fovendam, et ius ad competentem auctoritatem recurrenti), Consultorum animadversiones, uti diximus, non semper exponuntur. Possibile ergo opinari videtur talia iura uti «fundamentalia» considerata esse, et ideo in hoc capite non memoranda quia superfluum. Iura manent, sed non sunt clericorum specifica.

Hoc autem non de omnibus canonibus est praedicandum, et ratio adducta non semper applicari videtur. Verbi gratia, si ex una parte obligatio vocationum curae ex hoc elencho ad can. 233 transivit, quia haec cura non solius clerici sed totius communitatis sollicitudinem referre debet, ex alia parte facile perscrutare non est rationem, quae obligationem de «concurrentia ad pacem et concordiam» in hoc capite uti obligatio clerici propria retenta est.

Etiam verba, quibus ius associationis clericorum

exprimitur, problemata creare possunt. Ex una parte verba canonis ius Christifidelium commune sancire videntur; ex alia, secundum mentem PO n. 8, ius clerici proprium affirmatur. Rationes vero Commissionis et examen canonis hoc dubium non fugant. E contra suspicari faciunt quod PO adhuc fons huius canonis sit.

Res maximi momenti huius Codicis capituli est conatus normas Codicis praeteriti temporibus hodiernis aptandi. Hic conatus aliquando exitum consecutus est, aliquando hoc minus prospere evenit.

Praeterea mutationes fundamentales secundum Concilii indicationes notatae sunt. In canonum maiori parte aër a Vaticano secundo inflatus respirari potest, etsi aliquando quandam difficultatem ad prospectivas a PO allatas recipiendas notavimus.

A. CELEGHIN